

alii verò Eunomeutychiani nominari cœperunt, Sozomen. libro 6. cap. 17. & 26. Demum in exiliũ actus à Constantio Eunomius in Pamphylia solitudine miseram & infœlicem vitam & animam iustas suæ blasphemiae pœnas pendens traxit, sub Valente mortuus. Hic Aëtianorum etiam furores auxit, quibus tamen nihil addi videbatur posse, fuitque πολυγραφώτατος, vt Epiphanius tradit. Eudoxius verò ex Germanicia Syriae ciuitate fuit.

3 *Dissimilem per omnia.*) Variæ fuerunt superiorum hæreticorum hypotheses, quæ ex variis scriptoribus à nobis collectæ recensebuntur.

1 Deum à nobis plenè perfectèque comprehendendi posse, qualis quantusque in se est, contēdunt. Atqui Paulus 1. Tim. 6. versu 16. aliud docet, eum nempe lucem inaccessam habitare. Nec cuiquam nisi sibi ipsi & soli comprehensibilem Deum esse, satis tritum est dogma in Christianorum scholis, Theodoretus & Ioann. Damascen. lib. 1. De Orthodo. fide, cap. 13. in Græco. 2 Filium Dei esse Patri Deo in omnibus dissimilem. Nam esse volunt creaturam Patris ab eo ex superueniente voluntate procreatam. Itaque nec essentia, nec potestate, nec voluntate parem, ac ne similem quidem esse Patri Deo. In quo longè peius de Christi deitate isti sentiunt, quàm qui eum tantum Patri ἐτερίσιον, id est, diuersæ essentiae dixerunt: in reliquis enim attributis Heterousii hæretici tamen similem esse concedunt. Præcipuum autem Aëtii argumentum totum in argutiola quadam positum erat, vt & Augustinus libro quinto de Trinitate, capite 20. & Lombard. lib. 1. distinct. 6. cap. 1. referunt, & ante vtrunque Basilius & Epipha. hac nempe,